

conquerebantur ex eo, quod dominus Enricus, & Pontius Marchiones de Ponzono, & alii per quorum partes ibant, pedagium importabile sibi auferrebant conquerentes ad invicem de nimia, & indebita curadia, quæ in foro Aquensi a Vicariis Episcopi hominibus auferrebat. Igitur memorati Consules ad hanc lamentationem intendentes diligenter cum domino Enrico Marchione a maiestate, & clementia domini Episcopi postularunt, & bonitate sua, & quia modus rationis videbatur (*postulare*) factum curadiæ ad æquitatem, & mensuram solitam (*redigere*) dignaretur. Ille vero petitionibus, dictis eorum consentiens, cum ipsis simul viros antiquos elegit Bucazium, & Gandulfum Rugerii, Ogerium Vicenti, Manfredum Guerzi, Ottonem Carlevarium, & Enricum Ferrarium, veluti noscentes usum curadiæ, dictis quorum ex ea (*ipse*) stare promisit qui æque concordantes responderunt, quod omnis bestia quadrupes vendita in foro Aquensi, & Arcivolo debet curadiæ in duobus denariis ab emptore, totidem a venditore. De agnis, & hædis nihil sicut & e fructibus, & ovis, & de his omnibus, quæ brachio portantur. Idem de pullis, & piscibus recentibus. De Caballo tamen den. XII. De onere pullorum ovorum den. I. De fasce hominis circulatorum mealia (*al. uvæ alia*) datur. De fasce boum den. II. Celarii (*al. Tellarii*) habentes pisces, negociatores drappi, & ferri, & mercium vendentes in foro ut sedeant, unusquisque den. II. curadiæ debet. De torta lini den. II. dantur. De soma lebetum idem. De fasce scutellarum, & scyphorum idem. Artifices sitularum, & situlorum omni anno situlam debent, & situlum. Ferrarii cultellum, & mensuram. Facientes conchas, lanceas, & juga idem. De fasce bailorum (*al. baglorum*) I. den. De carro lignorum II. den. De barrocio I. den. De carro, & barrocio vini II. den. De fasce ollarum, & testarum (*idem*). De asino veniente onerato in foro nihil; si egreditur oneratus I. den. De mezena I. den. Sextarium vero capiendum est ad pugnum venditoris. Ex his omnibus prædicti memorati antiqui æque concordaverunt, nisi quod Enricus dixit curadiam ubique per civitatem Aquis fore capiendam, & de carro vini den. IV., & ne prave intelligatur, Aquenses, & illi de Ponzono inde excedantur. Ego Mattheus Notarius Sacri Palatii interfui, & inde hanc cartam complevi, & scripsi.

Hoc documentum jussu Consulium Aquensium Aicardo Truchi, Oberto Rabia, Ottone Ver, & Alberto Fusino anno MCCVIII., indictione XI., die Veneris XIV. mensis martii iterum a Mattheo Notario editum, atque ab Uberto, & Petro, & Henrico Notariis approbatum coram testibus Belengero Andrea, Guastarava, Gulielmo Dodonis, Arnaudo Brunne, & Marrone, ut ex membrana Capituli colligitur.

*Tabula Fæderis inter Astenses,
& Alexandrinos.*

MCXCVII.

93
Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo nonagesimo septimo, indictione decima

quinta, die Jovis tertio Kalendas novembris. In Ecclesia S. Agatæ de Uviliis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen. Forma pacti, & Sacramenti facti inter Astenses, & Alexandrinos hæc est. In primis jurant Astenses, & in civitate Ast. habitantes a XIV. annis supra usque ad LXX. nisi parabola consulatus, & potestatum utriusque civitatis, vel eorum missi ad hoc constituti remanserint bona fide, & sine fraude salvare, & custodire, adjuvare, & defendere universos cives Alexandriæ, & ejus jurisdictionis, & in ea civitate, & jurisdictione habitantes, & res eorum contra Marchionem Montisferrati qui nunc est, vel pro tempore fuerit omni occasione remota, & contra quamlibet aliam singularem personam, & contra omnes alios homines, ita quod nullum pactum, nullus conventus, nullus contractus, nulla concordia, quod, quem, quam faciat Marchio Montisferrati cum aliquo loco, vel cum aliqua civitate, vel cum aliquo homine, vel cum aliquibus, obstringat Astenses, & Alexandrinos, ad invicem tenere se adjuvare contra Marchionem Montisferrati omni occasione remota, his exceptis, qui inferius excipiuntur per terram, & per aquam in omni eorum jurisdictione, & alibi ubicumque poterunt bona fide omni tempore. Item jurant bona fide justitiam facere omnibus Alexandriæ, ejusque jurisdictionis hominibus, & in ea civitate, ejusque jurisdictione habitantibus de ipsis Astensibus conquerentibus, vel de hominibus in Asta, & ejus jurisdictione habitantibus secundum jus, & mores civitatis Astensis scriptos, vel approbatos, & hoc in secularibus causis tantum. Item cambium non accipient aliqua occasione ab aliquo prædictorum, nec etiam a principali debitore, vel fidejussore sine licentia Potestatis, vel Consulatus, qui pro tempore fuerint in Astensi civitate, qui nullatenus dare possint licentiam cambium capiendi, præter quam a reo, vel principali, vel a fidejussore a festo sancti Michaelis in antea, scilicet abhinc usque ad sanctum Michaellem faciat, & teneat secundum formam Sacramenti sui regiminis. Item jurant, quod non vetabunt alicui negotiatori undecumque veniat sive per terram, sive per aquam, quin eat, & redeat cum sua negotiatione ab Asta Alexandriam, nisi fuerit de aliqua terra, cum qua Asta, vel Alexandria guerram habeant, salvo interdicto ab Astensibus facto, vel faciendo super quamlibet negotiationem, & eo salvo, quod possint prohibere cuilibet negotiatori ire cum negotiatione sua per civitatem, & jurisdictionem eorum ad illam terram, quæ interdixerit Astensibus suam negotiationem, & alienam per suam civitatem, & suam jurisdictionem. Item jurant, quod bona fide facient Alexandrinis bis in anno exercitum per eorum commune, & cum eorum communi cum militibus, & peditibus, cum sagittariis, si a communi Alexandriæ, vel ejus nuncio ad hoc constituto fuerit eis requisitum cum expensis, & amissionibus ipsorum Astensium, nec relinquent Alexandrinos in illis exercitiis infra mensem unum absque voluntate potestatis Alexandriæ, vel consulatus eorum, qui pro tempore fuerint, & Credentiæ eorum simul coadunatæ ibidem. Item jurant, quod non relinquent